

manstrar los nomos nin los dichos, idem ferè habetur in leg. 12. tit. 19. lib. 4. for. legum, & in leg. 4. titulo 1. lib. 8. recopil. de quo videndi Dominus Gregor. Lopez, in dict. leg. 11. gloss. 2. Montal. in dict. leg. 12. & Azeved. in dict. lege 4. Gutierrez, in pract. crimin. quest. 1. num. 4. & Pichard. in manu. duct. parte 3. §. 2. num. 5. Qui licet hæc jura interpretentur de inquisitione generali, hoc non obstat, quo minus praxis visitationis ab eis desumpta sit: quam modo prædicto tradit Dominus Solorçan. dict. cap. 8. numero 11. Sed punitio solum se extendit ad privationem officii. Quæ sustineri poterant in omni causa, tum quia solemnitates juris sublatae sunt in inquisitione per Textum, in lege ea quidem, Cod. de accusat. ut notant Gomez, dict. cap. 1. num. 51. Mastril. d. cap. 2. num. 4. & Carpovius d. quæstione 103. num. 21. Tum etiam quia, licet substantialia regulariter requirantur, hæc suppleri possunt dum ea quæ de jure naturæ inesse debent, non deficiant. Et tandem quia dum inquisiti potentes sunt, nomina, neque dicta eduntur, ne damna, vel scandala oriantur, ut docet Dominus Gregor. Lopez, in dict. leg. 11. gloss. 2. Et Magistratus tales exultimantur, ut dixi. Citatio enim fit per publicationem visitationis, & traditionem Capitulorum, ut cum Barr. Bald. & aliis probat Bobadilla, dict. capite 1. numero 122. Repetitio testium suppleri videtur ex consensu partis, præstito in admissione officii, huic judicio obnoxii; quæ fieri posse probat Text. in dict. leg. 11. titulo 17. part. 2. in fin. Denegatio secundæ instantiæ per Text. in dict. lege 3. Cod. quor. appellat. quantumvis officio exuatur, quia hoc facere Princeps potest Magistratu non audito, vi clausulæ concessionis, ibi: *mera & libera voluntate durante*, ut docet Dominus Crespi, observat. 7. per tot.

Attamen communis praxis admissum labor, quod consensus Magistratus, ex quo irregularis modus procedendi in his judiciis visitationis sustinetur, ut docet Larrea, dict. decisione 98. num. 23. non extendatur ad crimina ex quibus pœna capitalis, vel alia gravis, corporis afflictiva, imponi potest. Quia nemo dominus membrorum suorum est, Textus, in leg. liber homo, ff. ad leg. Aquilian, leg. non tantum. ff. de pœn. cum vul-

gatis adductis, per Barbof. axiom. 147. num. 1. Ob quod, si pœna corporalis imponi potest, plenariæ defensionis facultas Reo conceditur, quæ neque per Principem tolli potest, pluribus Guazz. defensione 29. cap. 4. per totum. Et quantum in judiciis secretis, regulariter supplicatio denegata sit; si de pœna corporali imponenda tractetur, expressè concessa est, in leg. 57. tit. 4. lib. 2. recopilat. sic similiter quamvis remissoria ad examinandos testes judici permilla sit, etiam in secretis inquisitionibus, pœna corporali subintrante, examinandi testes omnino per Judicem sunt. Textus, in lege 27. tit. 16. part. 3. ubi Dominus Gregor. Lopez, gloss. 3. & 4. Avendaño, de exec. mandat. part. 2. capite 17. numero 3. Bobadilla, dict. cap. 1. num. 49. Pariter quamvis ex consensu partis repetitio testium omitti possit, in dict. leg. 11. fallit si agatur criminaliter ad pœnam corporalem Dominus Gregor. Lopez, dict. gloss. 3. Avendaño, Respons. 11 num. 3. Anton. Gomez, var. lib. 3. cap. 13. numero 33. Vela, dict. part. 2. cap. 8. num. 6. cum duobus sequentibus. Et hoc jurè utimur. Cum autem in nostra specie, pœna corporalis imponi posset, quia, ut dixi hujus criminis pœna capitalis est, & de probatione non dubitaretur, cum qualitatibus aggravantibus, tum quia Magistratus gravius ceteris delinquant, ut docet Dominus Larrea, dicta decisione 98. numero 2. Tum etiam, quia crimen læsæ majestatis redolebat, propter superioritatem partis læsæ; publicandus erat processus, ne per acta judicii irregularis indefensus condemnaretur; cum per admissionem officii non censatur renunciasse, nec renuntiare potuisse legitimas defensiones, ut latè probat Anton. Gomez, d. num. 33.

Quod amplius fulcitur ex eo, quod modus procedendi in his visitationibus secretis, differt à syndicato præstando per Magistratus finico officio, quod apud nos dicitur *Residencia*, de quo quoad Prætores Hispanos tractant Aviles, Avendaño & Bobadilla, dict. lib. 5. poliit. per totum, & quoad Magistratus Novi Orbis Dominus Solorçano, dicto cap. 8. in princip. ita ut syndicato tempore traditionis capitulorum ex secreta inquisitione resultantium, nomina testium edantur in unoquoque, ut cum

Monte

## CONTROVERSIA LXXV.

De libelli famosi crimine proseguendo ex mero judicis officio, etiamsi accusator, qui suam proseguatur injuriam, desiterit.

## SUMMARIUM.

- 1 Transactionis, & pacis effectus, non operantur si accusator desiterit, non quia crimen abolitione extinguere intendit, sed injuriam in publico judicio discuti recusat.
- 2 Judex ex mero officio proseguere potest crimen injuriarum.
- 3 Injuriarum Judicium publicum est. ibid.
- 4 Publica Judicia sunt, in quibus cuilibet de Populo conceditur facultas accusandi.
- 5 Delatores, & Fiscales instituti sunt, ut de accusandis reis, ex officii necessitate curent.
- 6 Inquisitionis remedium olim extraordinarium, jam ordinarium habemus.
- 7 Dominus Don Christophorus Crespi de Valdaura laudatur.
- 8 Judices, de Jure Hispano tenentur omnia crimina per inquisitionem persequi.
- 9 Libelli famosi crimen publicum est.
- 10 Præcipue si injuria non solum respiciat personam, verum etiam dignitatem.
- 11 Injuriarum actio, ad judicia privata spectat.
- 12 In judiciis privatis, deficiente accusatore cessat officium Judicis.
- 13 Concurfus actionum, sive judiciorum præjudicat uni ex eis.
- 14 Accusans post inceptum judicium inquisitionis, non potest ei præjudicare.
- 15 Actio injuriarum non præjudicat actioni legis Corneliæ de sicariis.
- 16 Libelli famosi actio potest præjudicari per admissionem judicii privati injuriarum, sed in arbitrio Prætoris est admissio.
- 17 Privatus ab accusatione desistendo, non præjudicat Fiscali.
- 18 Text. in l. 3. & 7. tit. 13. & leg. 18. tit. 7. lib. 2. recopil. expenditur.
- 19 Fiscalis in quocumque judicio admittendus est, etiamsi accusator litem proseguatur.

- 19 *Judex inquisitionem suspendere tenetur, quando constat aliquem esse laicum, cui competit jus accusandi.*
- 20 *Sed eo accusationem omittente, judex inquisitionem ex officio prosequitur.*
- 21 *Accusatore desistente, vel decedente, Judex ex officio judicium prosequitur.*
- 22 *Injuria ejus qualitatibus esse potest, ut non expediat bono publico, in publico judicio dici discuti.*
- 23 *Linguae vitio, vel impotentia patrata per garrulitatem, poena capitali plecti durissimum.*
- 24 *Lubricum linguae ad poenam facile trahendum non est.*

**D**E effectibus transactionis, & pacis inter accusatorem factae, & accusantem aliqua notavimus, *supra part. 1. conrov. 27. per totam*: quod iuxta communem intelligentiam accipi debet quoties partis laesae injuria, precibus, pretio, vel altero satisfactionis modo, ipsi offensori condonatur: tunc enim procedit dispositio nostrarum legum, ut poena corporalis imponi non possit, nisi crimen infidiosum fuerit, ut *ibidem* dixi. Nunc autem agimus de reo accusato ob crimen famosi libelli, & de accusatore, qui a querela destitit, nulla praecedente pace seu transactione, sed quia nolit in publico judicio de conviciis sibi irrogatis discuti. Fortè credendo, quod istud crimen privatum est, & sic neque ex mero iudicis officio, neque ad instantiam Fiscalis prosequi judicium poterat: quia iudicia privata non prosequuntur, nisi accusante eo qui injuriam suam, vel suorum persequitur.

Sed posse ex mero officio per iudicem inquisitionem institui, vel ad instantiam Fiscalis jam captam prosequi probatur ex Text. *in lege hos accusatores 12. in fin. ff. de accusat.* Quo Venuleius inter iudicia publica numerat actionem legis Corneliae injuriarum, ut notat Anton. Matth. *de crimin. lib. 47. ff. tit. 4. cap. 2. num. 4.* & ante eum ex nostraribus Petrus Plaça, *in epit. delict. lib. 1. cap. 6. numero 41.* & Anton. Gomez, *lib. 3. variar. cap. 6. numero 7.* pluribus Farinac. *questione 103. numero 26. ad finem*, & ratio est: nam aut agitur criminaliter ad poenam, aut civiliter ad damnum; si civiliter, judicium privatum sit; si criminali-

ter, publicum. Sed publica iudicia à quolibet de populo accusari possunt, non suam, vel suorum injuriam persequendo, sed vindictam publicam procurando, §. 1. *instit. de publ. jud. ubi communiter Doctores*, & accusatoribus deficientibus, ne peccata impunita evaderent instituti sunt Delatores; & Fisci: qui de accusandis reis, ex necessitate officii, in omni crimine curarent; iuxta Text. *in lege Divus Adrianus*, §. 1. *ff. de custod. reor. tradit* aliis relatis Carpzov. *in pract. crimin. part. 3. quest. 104. numero 4.* Sed clarissus atque cruditiùs ex nostraribus Amaya, *in Rub. Cod. de Delator. lib. 10. numero 14. & 20. cum sequentibus*, & Dominus Larrea, *allegat. fiscal. 1. num. 9.* quò originem fiscalium, & plura scitu digna cumulat. Haec enim crimina sunt, quae ex mero iudicis officio inquirenda veniunt, imò & cuncta delicta, quia licet ab initio inquisitionis remedium extraordinarium censeretur, de generali consuetudine factum fuit ordinarium, ut pluribus relatis probat Farinac. *questione 1. num. 10. vers. limita 3. & quest. 12. numero 1.* cum aliis per me adductis, *tom. 2. de regimin. Regn. Valent. cap. 8. §. 1. ex numero 1.* Quibus addendi Anton. Matthaeus, *lib. 48. ff. tit. 20. cap. 1. & 2. Benedic. Carpzov. dict. part. 3. quest. 107. numero 3.* & excellentissimus Dominus Don Christophorus Crespi, *observat. 4. ex numero 20.* Quo in loco licet eruditè omnia de foro Valentiae, quoad hoc statuta, tradat, nihil adducit ex quo conclusionem quam posuit, *d. §. 1. numero 8.* impugnet. Etenim numero 21. conclusionem tradit nostrae prima facie contrariam, sed longa serie per ipsum adductorum ad amulsum examinata, nihil addidit eis, quae probaveram; sed Regum chronologia exaratà cum dispositis per eos in Valentinis foris, in ipsum quod dixeram in effectu concludit. Libentissimè fateor facillimum inventis addere; sed perpensis his quae ab ipso traduntur, *ex numer. 88.* collatisque cum his quae ante notaveram, clarè resultat, quod ambo per diversam viam ad eundem veritatis portum perveniunt.

Sed ut ad institutum revertamur, hoc ipsum de jure nostro Hispano cautum habemus: Nam non solum Judices, possunt, verum etiam tenentur omnia delicta in districtu suae jurisdictionis per inquisi-

inquisitionem persequi, ita Text. *in l. 1. & leg. 6. titulo 1. lib. 8. recopil. docent* Anton. Gomez, *lib. 3. variar. c. 1. n. 49. vers. secus vero, & versic.* Primò quia regulariter. Bernard. Diaz, *in pract. cap. 6. num. 3.* Joann. Gutierrez, *in pract. crim. quest. 1. num. 10.* Don Joann. Vela, *de delict. part. 2. cap. 2. ex num. 2. & cap. 3. ex num. 1.* Azevedo, *in d. l. 1. num. 24. & 25.* Cantera, *in quest. crimin. pralud. 1. n. 2.* Barbof. *in collect. cap. qualiter, & quando de accusation. num. 16.* Et quantum non ignorem, quod plures ratione injuriae simplicis tenuerit non dari iudicium publicum, sed privatum, à parte laesae prosequendum per Text. *in l. injuriarum causa 7. C. de injur. cum similibus*, quando injuria facta est per libellum famosum, nemini dubium est, quod iudicium publicum datur, Text. expressus, *in l. quod Senatus consultum 6. ff. de injur.* ut notat Anton. Matth. *d. num. 4.* Praecipue, si injuria non sit privatae, sed publicae personae, ut Judici, Magistratui, vel Principi; quia in his casibus cum injuria laedat dignitatem muneris, licet ipse injuriatus possit agere suam prosequendo injuriam, Fiscalis agere potest ad vindictam majestatis, vel dignitatis laesae, ut docent Maranta, *in specul. ord. judic. p. 6. num. 9. vers. secus est.* Anton. Thelaur, *decis. 18. num. 7. & 12.* Berlich, *dict. 5. parte practica. concl. 61. num. 6. & 7.*

10 Neque his obstat quod actio injuriarum ad iudicia privata pertinet, ex Text. *in dict. l. injuriarum causa 7. & l. fin. C. injur.* cum vulgat. & cum ex libello famoso actio injuriarum resultet, non cuilibet de populo, sed injuriato jus acculandi competit: & sic eo desistente cessat iudicium: quia praeterquam quod libelli famosi iudicium publicum est, ut probat Text. *in d. l. Senatus Consultum 6.*

11 Ex injuria, vel alio quolibet delicto privato iudex potest, imò tenetur ex officio inquirere, procedere, & accusare si offensus non accuset, vel si desistat ab accusatione proposita, per Text. *in lege congruis, ff. de offic. Praefidis, & in lege apud Labconem, §. si quis sic fecit, ff. de injur. & in leg. per omnes, C. de defensor. civit. & in l. qui sepulcro, C. de sepul. violat. & in l. 4. §. 1. ff. ad leg. Jul. peculat. de jure nostro Text. *in l. 28. tit. 1. part. 7. ibi: e non pudesse probar aquello de que lo accusava*, docet cum Barr. Alberic. & D. D. Laur. Mathau, *de Re Crim. Pars II.**

aliis Anton. Gomez, *d. lib. 3. cap. 1. n. 10.* Matienço, *in lege 1. tit. 14. lib. 5. recopil. gloss. 9. num. 1.* Padilla, *in l. transigere, C. de accusat. num. 50.* Farinac. *in fragment. verb. iudex, num. 972. & consil. 55. num. 57.* Petr. Barbof. *in l. viro atque uxore, ff. solut. matrim. num. 11. cum sequentibus.* Absque eo quod praedictum resultet inquisitioni ex concursu accusationis, sic mihi probat Text. *in dict. l. quod Senatus Consultum, §. 1.* ubi Paulus ait: *Nec enim prohibendus est privato agere iudicio, quod publico iudicio prejudicatur, quia ad privatam causam pertinet. Plane si actum sit publico iudicio denegandum est privatum similiter ex diverso.* Concordat Text. Hispanus, *in leg. 21. tit. 9. part. 7. ibi: e la una destas maneras se luelle por la otra.* Dubitat enim Paulus, in terminis libelli famosi, an si concurrat iudicium publicum cum privato, alicui praedictum inferatur, & postquam docet, quod nemo prohibendus est agere, subjungit quod si primo actum est iudicio publico, denegandum est privatum, & è contra, quia cum uterque detur ad vindictam, ut omnes Doctores notant, unum praedictat alii. Ex quo clarè sequitur, quod si offensus querelam proposuit post ceptum publicum iudicium inquisitionis, denegandum est ei iudicium privatum, & sic prosequendum publicum absque eo quod praedictum sequatur ei ex propositione privati. Et si quæras rationem disparitatis, quare si occisus sit homo, & actio injuriarum proponatur, nullum sit praedictum actioni legis Corneliae de sicariis, ut docet Ulpianus, *in l. Prator. 7. §. 1. ff. de injur.* quando in crimine famosi libelli, praedictum fieri videmus ex propositione cujlibet, iuxta *d. l. quod Senatus Consultum*, facilis erit responsio, quia cum tradunt Jacob. Cujac. *lib. 24. observat. capite 16.* & Ant. Matth. *d. lib. 47. ff. tit. 4. cap. 3. num. 9.* Nempe quod licet de jure in potestate sit offensus utrum publico, an privato iudicio experiri velit: in crimine famosi libelli arbitrio Praetoris remissum est, non pati quod per privatum iudicium publico praedictetur, quia privatum tendit ad interesse injuriae æstimandam, & habendum: publicum ad publicam satisfactionem, & vindictam. Et sic licet offensus desistendo à querela, vel accusatione, sibi praedictum facere possit recompensam injuriae amittendo;

non tamen præjudicium inferre valet juri publico, ut delicta debita punitione præcludantur. Et licet in hac specie offensus non accusasset ad recompensam, sed ad vindictam, æqualiter cum fiscali concurrendo, per abolitionem nullum fiscale præjudicium inferre potuit, quando sine eo iudicium institutum habebat, & sine eo prosequi poterat, ut superius probatum est.

17 Nec relevat si dicas de jure nostro cautum reperiri, quod fiscalis non admittatur, in iudicio ubi pars pro suo interesse litem prosequitur. Text. in l. 3. & 6. tit. 13. & in leg. 18. tit. 7. lib. 2. recopil. ut tradit Joan. Garcia, de nobilit. gloss. 3. num. 17. Quia ex dictis iuribus, similis decisio non habetur: nam in dict. l. 18. expressè jubetur iudicibus, quod injungere causas faciant fiscali, ne ex defectu partis indefensæ remaneant, in d. l. 3. jubetur quod fiscalis absque delatore certo, accusare non possit, nisi inquisitio à Principe fieri jubeatur, in d. leg. 6. quod fiscales prosequantur causas appellationum, quæ ab inferioribus interponuntur, sumendo nomen, id est, vices inquirentis: ob quod rectissime in omni causa admittendum fiscalem docent Joan. Gutierrez, lib. 3. pract. q. 21. num. 17. Don Franc. Alfaro, de offic. Fiscal. gloss. 17. num. 4. cum seqq. Aviles, in cap. Prætor. cap. 3. verb. Camera, Salgado de Regia provell. part. 2. cap. 7. num. 25. & Larrea, d. allegat. 1. num. 9. Cum autem visitationis secreta inquisitio ab ipso Principe fieri jubeatur, etiam si delator deficeret, causa à fiscali prosequenda erat, ut expressè dicitur, in dict. lege 3. ad fin.

19 Multo minus ob stare poterit stylus iudicium, circa modum procedendi, inquisitionem suspendendo, si constat aliquem offensum esse ex delicto cui competit jus accusandi, ut is requiratur, an accusare velit, secundum doctrinam glossæ in cap. presbyter 12. q. 4. quam sequuntur Aviles, in cap. 1. Prætor. verb. sel, num. 34. Anton. Gomez, d. c. 1. num. 17. Paz, in prax. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 5. n. 1. Vela, de delict. p. 2. c. 3. n. 8. Covarr. var. lib. 1. cap. 11. in fin. Clar. in §. fin. q. 15. n. 5. Patin. in fragm. verb. inquisition. 343. Larrea, decis. Granat. 26. n. 6. (quæ notabilis & pulchra est, ad nostram questionem dirimendam.) Non inquam obstat similis praxis, quia omnes isti Do-

ctores tenent, quod si offensus accusare neglexerit, vel à prosecutione causæ desisterit, Iudex ex officio procedere debet, ut clarè habetur, in l. 2. C. de abolit. ibi: sed adversus nocentem reum inquisitione facta pana competens irrogetur. Idem probat Text. in l. accusante 13. ff. de publ. iudiciis, ubi Bartol. quem sequuntur Speculator, tit. de inquis. §. 1. vers. secundo si accusator. Ant. Gomez, d. c. 1. n. 10. & 49. vers. octavo procedit. & Don Joan. Vela, d. p. 2. c. 5. n. 45. Quare licet pars læsa decesserit, vel desistat, vel accusationem prosequi omittat, in puncto juris causam inquisitionis prosequendam certissimum est, & in praxi admittitur. Quod suadet Text. in l. 22. tit. 1. p. 7. ut probavi contr. 27. n. 4. quibus addendus Larrea d. decis. 26. per tot. Quia dum controversum in ea est, quod accusatore transigente pœna corporis afflictiva imponi non possit, nisi crimen insidiosum sit, 22 clarè sequitur causam prosequendam esse usque ad impositionem pœnæ corporalis si insidiosum est crimen, levioris si non sit insidiosum. Licet verum sit quod talis injuria esse potest, vel ejus conditionis offensus, ut non expediat bono publico causam publicè discuti, ut aliquando vidi observari, actis secretæ inquisitionis laceratis, vel igne consumptis, ne memoria temeritatis permaneat. Præcipue, si tota defensio rei consistat, quando aliquis linguæ, vel calami vitio, atque impotentia, dum somno excogitata tacere nescit, libello vel carmine divulgat; durissimum enim foret garrulitati pœnam statuere capitis, ut eisdem ferè verbis dixit Ant. Marth. d. c. 2. num. 4. Et licet iste Doctor, nulla juris dispositione sententiam prudentissimam comprobet, comprobari clarè videtur verbis Modestini, in l. famosi 7. hoc tamen, ff. ad leg. Jul. majest. ibi: Nec lubricum lingua ad pœnam facile trahendum est: quantum enim temerarii pœna digni sunt, tamen ut insani illis parcendum est, vel saltem sumpto prætextu ab alia causa, correctione condigna hujusmodi temeritates refræandæ sunt, ne passim similia perpetrata videamus.

CONTRQ



## CONTROVERSIA LXXVI.

De Preside Togato sordibus implicito, in distributione officiorum, & servitio personali Indorum, & attestaciones falsas cogente.

## SUMMARIUM.

- 1 Facti species narratur.
- 2 Nullitas allegata per reum ratione excessus in procedendo.
- 3 Delatores testium locum haberi non possunt. Excedens fines mandati, perperam agit. ibid.
- 4 Vana allegationes Advocatorum, audienda non sunt.
- 5 Dicitio per omnes vias & modos, contenta in commissione, cuncta comprehendit, & nihil excludit. Delatores, in scriptis, delationes facere tenentur. ibid.
- 6 Magistratus tenentur Principi referre omnia, quæ in Provincia succedunt notatu digna. In syndacatu Superioris Magistratus, examinandi sunt inferiores, & curiales. ibid.
- 7 Iudex semel delato juramento testi, vel delatori, tenetur in scriptis redigere omnia quæ dixerint.
- 8 Magistratus sordes probare difficile est. Probationes imperfecte junguntur, ad comprobationem sordium. ibid.
- 9 Leg. 6. tit. 9. lib. 3. recopilat. expenditur.
- 10 Penalitudo dispositio strictè interpretari debet.
- 11 Venditio officiorum sub d. l. 6. comprehensa est.
- 12 Dispositio d. l. 6. extensa est in Novo Orbe, ad probandas negotiationes, & quæstus Magistratum.
- 13 Venditio officiorum turpissimum genus negotiationis est.
- 14 Magistratus licite facere non possunt, quod ipsi Principi illicitum est, sicut venditio officiorum.
- 15 Magistratus solum tenentur de gestis per conjunctas personas ad pœnam civilem, nisi constet de scientia.

D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. P. II.

Probatio irregularis, d. leg. 6. non procedit de gestis per conjunctas personas. ibid.

16 Limita si constat de scientia, consensu, vel mandato. Ex pluralitate scientia presumitur. ibidem.

Ex publicitate. ibid.

17 Ex consanguinitate, affinitate, domesticitate, & controversatione. Ex cohabitatione. ibid.

Scientia probatur conjecturis, & presumptionibus. ibid.

18 Probatio regularis resultat, si dicta testium singularium conspirant in unum.

Varietas in quantitate non obest, quia in minori parte conveniunt. ibid.

19 Testis inimicus non probat, neque in crimine difficultis probationis.

20 Inimicitia testis probanda est.

21 Inimicitia excludens testes, debet oriri ex odio privato, non publico.

22 Et debet esse gravis, vera, & non affectata.

23 Iudex facilis excluditur, quam testis.

24 Judicium recusatio vaga, si omnium fiat. Inimicitia oppositio facta omnibus testibus, vaga, & vana. ibid.

25 Depositio in causa criminali, inimicitiam parit ad aliam, non ad ipsam.

26 Testes de universitate probant facta in corpore illius. Canonici probant factum in Capitulo. ibid.

27 Domestici in domo.

28 Meretrices, & lenones in lupanari. Aleatores in alea. ibid.

29 Indi probant extorsiones factas Indis præcipue in municipiis.

30 Ubi veritas aliter haberi non potest testes non idonei admittuntur.

31 Violentia facta tabellionibus, solum per ipsos probari potest.

32 Magistratus Novi Orbis tenentur de receptis per uxorem, & filios.

33 Etiam si datum sit à litigatore præsentis, præterito, vel futuro. & numero 34.

35 Esculenta, & poculenta recipere prohibentur in Novo Orbe. & n. 36.

37 Repetundarum crimen an patretur per eum tantum, qui recipit dona in causa iudicati.

38 Repetundarum crimen probatur in his quæ sunt voluntarie jurisdictionis.